



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Tertiam Partem Summæ Theologiæ. Cum Commentariis
Reuerendiss. D. Thomæ de Vio Caietani Cardinalis S. Sixti, Et Opvscvlis
Eivsdem In tres Tomos distinctis

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

11. De Voto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72797](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72797)

quorum unumque praelatorum & superiorum, & actus per accidens ministrorum ordinis & uniuersaliter non consistentes in consecratione aliqua a peccatoribus exercitati non pariunt per se nouum peccatum mortale. Ministratio autem sacramentorum, & eorum susceptio puritatem a mortali crimine exigit. Verum scito quod nec uere contritus nec credens se conuictum quia diligenter & si non sufficienter discussit seipsum censetur in peccato mortali quo ad hanc existere, alioquin quilibet qui peccauit mortaliter, exponeret se piculo peccandi mortaliter, cum ad ministrandum, aut ad suscipiendum sacramenta accedit, cum nemo sciat, utrum odio vel amore dignus sit: & hoc expressè sentit S. Th. in 4. dist. 9. &c.

Et per hanc patet responsio ad obiecta. Romę die 24. Aug. 1500.

TRACTATUS VNDECIMVS.
de uoto non nubendi, & de nouitiis, in
tres quaestiones diuisus.

S Y M M A R I V M:

- 1 Num uotum non nubendi aequiueat uoto castitatis.
- 2 Num emissurus professionis uotum possit absolute renuntiare propinquis hereditatem, quam probabiliter dubitat male adepto se infectam.
- 3 Num per uotum, quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini beate Virginis sit acquisitum ius illi ecclesie.

QVAESTIO I.

Num uotum non nubendi aequiueat uoto castitatis.



Varitur utrum uotum non nubendi aequiueat uoto castitatis.

Et uidetur quod non. Primò, quia minus non aequiueat maiori. Sed uotum castitatis maius est, quod non nubendi, sicut seruare castitatem plus est quam non nubere, ergo.

Præterea, quorum conuertibilium quicumque destruit unum destruit & reliquum: sed committens fornicationem agit contra uotum castitatis, & non contra uotum nubendi, ergo hæc duo non conuertuntur.

Respondet, quod hæc quaestio dupliciter sensum habere potest. Primò, utrum hæc duo uota simpliciter aequiueat. Secundò utrum aequiueat quo ad dispensabilitatem aut incommutabilitatem, ita quod nulla auctoritas possit in alterum quæ non potest in reliquum.

Et in primo quidem sensu licet prima fronte per argumenta adducta uideatur quod non aequiueat, tamen considerantibus apparet, quod distinguendum est de uoto.

Potest enim dupliciter sumi, ut placet Theologis in 30. dist. 1. Vno modo proprie: alio modo communiter. Voti siquidem proprie sumpti materia tum modo est bonum supererogationis, eo quod de ratione uoti est, quod sit de meliori bono. Voti uero communiter materia est etiam bonum, ad quod quis alias tenetur, non in quantum huiusmodi, sed in quantum uoluntarium ut patet de uoto in Baptismo emisso. Si ergo loquamur de uoto castitatis proprie, cum sub tali uoto non cadat, nisi castitas supererogationis, quæ nihil aliud excludit nisi coitum matrimonialē (quia ad seruandam extra matrimonium castitatē quilibet ex præcepto tenetur) cōsequens

A est tale uotum, & uotum non nubendi aequiualere. Si uero loquamur de uoto castitatis communiter, cum sub tali uoto claudatur omnis castitas, consequens est quod tale uotum, & uotum non nubendi non aequiualent, sed longe maius est uotum castitatis.

In secundo uero sensu quid tenendum sit, ex modo dictis concludendum est. Quidam enim quia sedi apostolicæ ultra illa tria uota peregrinationis, duo tantum inueniuntur reseruata, scilicet religionis & castitatis, & reseruaciones non sunt amplianda, sed potius restringendæ (quasi odiosa praelatis, quorum auctoritas restringitur, & uotum castitatis omnē coitum secundum communem loquentium usum excludere intelligitur) credunt hæc uota non esse æque incommutabilia: sed in uoto non nubendi Episcopum, in uoto uero castitatis solum Papam dispensare posse.

Sed opinio hæc a ueritate longe est: quod tripliciter probatur. Primò: quia hæc duo uota æquiualeat quo ad id quod per se & simpliciter in uoto castitatis, absolute loquendo, inuenitur. sub uoto enim castitatis, absolute loquendo, cadit castitas supererogationis per se & simpliciter; ut pote tanquam ad quod institutum est: castitas autem ad quam omnes necessario tenentur, non cadit nisi forte secundum quid: constat autem quod in uoto non nubendi clauditur tota castitas supererogatio. Relinquitur igitur quod eiusdem rationis est dispensare utrunque. Secundo, quia uotum castitatis in tantum est reseruatum papæ, in quantum est ab eo dispensabile. Non est autem dispensabile, nisi quo ad castitatē supererogationis: in qua eiusdem rationis est cum uoto non nubendi. Ergo hæc duo uota in quantum dispensabilia non solum æquiualent, sed sunt idem: nihil enim aliud dispensando in uoto castitatis concedit papa, nisi nubere, & pro nullo alio obtinendo uult se adiri sedes apostolica ab habentibus uotum castitatis nisi pro coniugio. Vnde dicere, uotum non nubendi non esse reseruatum, ut uotum castitatis, est propriam ignorare uocem. Tertio, quia nisi aliud de ad oppositum quæ cogamur, uerba iuris proprie interpretanda sunt. Alioquin nulla posset expositio certa haberi; sed omnia ambigua essent, dum proprie uel improprie intelligi dubitarentur. Voti autem nomen, ut ex dictis, & ex suo proprio fine, ad quod inuentum est, patet, obligationem ad ea, quæ supererogationis sunt, proprie importat: nulla enim est necessitas uoti uel obligationis ad ea, ad quæ ex præcepto tenemur. Vnde applicatum ad materiam uenericam, dicendo uotum castitatis, obligationem ad abstinentiam a uenericis, quæ licuissent, propria significatione insinuat. Quam ergo reseruatum apostolicæ sedi dicitur, proprie sumitur. Sic autem æquiualeat, in idem esse quod uotum non nubendi, ostensum est. Relinquitur ergo quod utrumque apostolicæ sedi eadem ratione & reseruacione reseruatum est. Nec sit hic aliqua reseruacionis ampliatio: nec uocabula extra communem usum doctorum trahuntur, quauis uulgares loquantur.

Ad utranque autem rationem in oppositum simul dicitur, quod nihil aliud concludunt, nisi quod uotum castitatis large sumptum, & uotum non nubendi, non æquiualent simpliciter: quod (ut ex dictis patet) non cōtrariatur determinationi nostre: qua diximus, quod uotum castitatis proprie, & uotum non nubendi, simpliciter æquiualent: & quod uotum castitatis, absolute loquendo, & uotum non nubendi, quo ad dispensabilitatem uel indispensabilitatem æquiualent. Mediolani, die 18. Decembris, 1500. In sancta Maria Gratiarum.

Opulc. Caiet: R 2 DE

QV AESTIO II.

Num emissurus professionis uotum possit absolute renuntiare propinquis hereditatem, quam probabiliter dubitat male adepti esse infectam.

Queritur, utrum emissurus professionis uotum, possit absolute renuntiare propinquis hereditatem, quam probabiliter dubitat male adepti esse infectam.

Et uidetur quod sic. Primo, quia unusquisque potest libere uti iure suo, etiam si inde alterius damnum sequatur. Ius autem renuntiandi competere constat alii nouitio, qui nondum adiit hereditatem, potest igitur iure huiusmodi uti.

Præterea, Nullus tenetur constituere se debitorem alteri, nisi propter aliquam acceptionem, aut rem acceptam. Constat autem quod in hoc casu nouitius adhuc nullo modo concurrit ad aliquam acceptionis modum, nec res peruenit ad eum, quam uis sit in potentia proxima ad perueniendum ad ipsum. Et adeundo hereditatem infectam, constitueret se debitorem his, a quibus res iniuste extortæ sunt, ergo non tenetur ipsam acceptare.

Et confirmatur, quia hereditati grauatis debitis nouitius indubie possit renuntiare, & non se constituere debitorem, ergo hereditate obnoxia multis restitutionibus idem poterit: neque enim magis ad hæc, quam ad illa tenetur, imo secundum quoddam solutio debitorum ex mutuo vel emptione, &c. præcedit restitutionem male ablatorum.

Præterea, In professione religionis homo moritur mundo, ac per hoc debet abdicatis omnibus sollicitudinibus seculi huius in nouitatem se uite transferre. Constat autem quod restituendi in se onus suscipit, continget multa opus esse sollicitudine rebus, præsertim dubiis extantibus: tum uidendo, & examinando ratiocinia multa antiqua & difformia: tum in rerum venditione, ut possit ex prærio singulis satisfieri, tum in creditorum infinitorum inuestigatione, & aliis quamplurimis, quæ cum religiosi animi quiete non stant.

Oportet ergo, si renuntiare non potest aut profectum sollicitari circa ea, quæ mundi huius sunt, multo tempore aut paternam obligationem obicem sibi esse ad professionis holocaustum offerendum. Quorum utrunque uidetur inconueniens, quum B. Matthæus qui rapere solebat aliena, teste Beda, relictiis omnibus secutus legatur Dominum, Lucæ 5. sic quod ut gloss. dicit, etiam rationes incompositas dereliquit. ergo.

In oppositum est, quod ius naturæ expressum a Domino, Matt. 7. Quæcunque uultis ut faciant uobis homines, hæc eadem illis faciatis, inuolabiliter seruandum est. Constat autem, quod ipse nouitius si esset in statu creditorum, a quibus res iniuste extortæ sunt, uellet regulata uoluntate sibi satisfieri a bene dispositis ad restituendum, & non remitti ad mundanos, qui naturaliter abhorrent restituere: ergo & ipse debet hoc facere aliis.

Respondeo Cum distinctione, & dico quatuor, primo, quod si propinqui, ad quos post renuntiationem perueniret hereditas, sunt tales quod indubie credantur restituri, quando, quantum, quibus, &c. debetur, potest nouitius absolute renuntiare insinuando illis propinquis dubitationem, quam habet, & unde eam concepit, &c. Secundo, quod si

propinqui prædicti sunt tales, quod indubie creditur nunquam, aut quali nunquam restituri, non potest nouitius absolute renuntiare. Tertio, quod si propinqui medio modo se habent, scilicet quod dubitetur, an restituet uel ne, non potest nouitius absolute renuntiare. Quarto, quod in his duobus ultimis casibus, & uniuersaliter in omnibus casibus extra primū, tenetur nouitius sic prouidere, ut absque dubio creditur restitutio futura tempore debito, &c.

Ad quorum euidentiam aduertendum est, quod renuntiare hereditati duo importat: unum explicite scilicet nolitionem hereditatis, & alterum implicite, scilicet diuersionem hereditatis ad alium, uel alios. Renuntiante enim aliquo, hæc duo semper se inseparabiliter comitantur, sic quod renuntians, directe hereditatem nolle se fatetur, & ex hoc naturali necessitate sequitur, quod ad alterum hereditas declinet.

Et si in renuntiationis quidem actu sola nolitione consideret hereditatis, difficile & forte impossibile est, impedimentum aliquod afferre uetans tale nouitium a libera & absoluta renuntiatione: quoniam nec præcepta restitutionis ad hoc ipsum cogunt, quum ad ipsum adhuc se non extendant, quia non comprehendit sub aliquo nouem generum personarum ad restitutionem obligatarum secundum Doctores in illis uersibus, iussio, consiliū, &c. ut patet discurrēti per singula. Nisi quis crederet, quod nolendo hereditatem, fieret non obstantes detractioni rei aliene, quum possit non renuntians obviare: ac per hoc obnoxius fieret restitutioni. Sed hoc non uis necessarium quia, ut S. Tho. in 2. 2. q. 51. ar. 7. ad tertium dicit, tunc solum non obviare obligat aliquem ad restitutionem, quando præsupponit obligationem ad obstantem in eo, qui non obstat: in hoc autem nouitio nulla præsupponitur obligatio, sed quaritur an in eo sit. Nec apparet aliquod præceptum charitatis ad hoc obligans, sed (ut obiciendo tactū est) apparet positum ex eo quod cuiuslibet licitū est uti iure suo, & nullus omnino expers tam facti, quam rei tenet se mouere nouis questionibus, & obligationibus, ut alteri satisfiat. Si uero in renuntiationis actu consideret

declinationem hereditatis ad alium uel alios, quamuis prima facie uideatur, quod quicquid hinc sequatur, ponderandum non sit: eo quod renuntians non est autor talis diuersionis, nec intendit eam, sed ordinatio cursu comitatur intentū a renuntiante, scilicet nolitionem hereditatis, diligenter tamē consideranti uideri facile potest declinationem istam esse, etiam non principaliter secundario tamen intentam a renuntiante: quoniam scit principali suo intento annexam declinationem hereditatis ad tales, & potest impedire connexionem talis declinationis, renuntians alij, uel modificando, &c. Attenta ergo in renuntiationis actu diuersimode hereditatis ad tales propinquos, verificandi habetur via per quatuor supradictas conclusiones.

Quum enim huiusmodi hereditatis declinatio ex uoluntate libera renuntiantis procedat, non ut casualis, sed ut per se secundo intentus effectus ut patet ex se & ex dictis & ex hac dependeat detractione aut restitō alieni hereditati immixti, quoniam ex ista declinatione ius hereditatis acquiritur, & dominium facti respectu aris alieni: et si ad auaros diuersio fit, perseverabit detractione alieni. si uero ad bonos uiros fiet restitō, cōsequens est, quod talis diuersio debeat sic a renuntiante eius autoritate modificari, quatenus nullius ius ex illa uoletur: alioquin ipse reatum iniustitiæ euadere non potest. Et confirmatur quia renuntians, in quantum est autor talis diuersionis, quamuis

quamuis implicate, positiue tamen disponit de hereditate infecta. Constat autem, quod ordinans & disponens de hereditate infecta, immunem ab iniustitia non se seruat nisi prudenter & fideliter disponat de re alieno restituendo; nec proferat iudicium aut renuntiatione aliqua excusari potest. Tenetur igitur huiusmodi nouitius ad sic prouidendum, ut restitutio fiat: alioquin ut mutus subtractione precepti, ad quod tenetur in dispositione hereditatis infecta, ad restituendum ipse tenebitur. Nec refert in proposito, an certum aut dubium uerisimile sit de infectione hereditatis: quoniam queadmodum disponens de hereditate tenetur, que constat aliena esse ordinare, ut omnino instituantur: sic tenetur de dubiis bonis ordinare, ut certitudo habeatur, etiam aliena comperiantur, reddantur; quia ad hoc tenetur ipse si hereditatem in se susciperet. Quia igitur huiusmodi libera renuntiationi nihil obstat, nisi restitutio alieni quam ante professionem fieri non posset supponitur ob sui intricacione: consequens est quod renuntiatione licita sit, si annexam habet debitam professionem restitutionis agende: siue hoc fit propter cognitam fidelitatem bonorum propinquorum succedentium post liberam renuntiationem, ut prima conclusio dixit: siue hoc fit propter multas cautelas & fideles executores electos, & alias huiusmodi circumstantias in modificata renuntiatione, ut quarta conclusio proposuit. Et quia oppositorum eadem est disciplina, ex eisdem principiis patet illicitum esse absolute renuntiare, quando hoc fit scilicet, aut dubitatur ad tales restitutio aris alieni deuoluenda, quibus exofa est restitutio: ut secunda & tertia conclusio dictum est. Nec est in dubio avertendum, an fideliter restituent coheredes, qui pro portione sua infecta non curant satisfacere; uoce etenim Domini dicitur Mat. 7. a fructibus eorum cognoscetis eos.

Ad argumenta ergo in oppositum pro quanto inferre intendunt licitum esse absque distinctione aliqua absolute renuntiare, respondendum est.

Ad primum ergo dicitur, quod nouitio non competit ius absolute & liberè renuntiandi hereditati infecta: in omni casu: sed tunc tantum quando ex tali renuntiatione hereditas deuoluitur ad non detentores alieni, ut ex dictis patet.

Ad secundum dicitur, quod quum in renuntiatione interueniat dispositio quedam rei aliena hereditati immixta, nisi talis dispositio debitis circumstantiis fulcatur, damnificarentur ex hoc illi, quibus res debet restitui: ac per hoc acceptio quedam aliena rei suboriretur in ipso renuntiante, obligans ipsum ad restitutionem: acceptio siquidem nomine omnis damnificatio intelligitur in hac materia. Unde tenetur nouitius non debitorem se constituturè, sed sic ordinare, ut satisfiat: non propter aliquam precedentem acceptioem, sed ne in ipsa dispositione aliena rei, acceptio interueniat ad confirmationem uero dicitur, quod ideo grauamen debitoris parui penditur, quia credituribus consuevit etiam a detentoribus alieni satisfieri, & propter contractuum cautiones, & propter suorum quinternorum fidem seruandam, & alia huiusmodi. Unde si contingeret ex renuntiatione ad tales heredes deuoluendam esse hereditatem grauata debitis, quos crederetur non soluturos, & propter potentiam, uel aliquid aliud non posse cogi (ut pluries contingit circa grauam legatorum ad pias causas) eadem esset regula seruanda, que circa restitutionem male ablatorum dicta est.

Ad tertium dicendum, quod nouitius perplexus non remanet in hoc casu: sed absoluerè se absque

multa difficultate potest ab huiusmodi sollicitudinibus, etiam quando habet propinquos auaros adhibendo necessarias cautelas in renuntiatione. Quod potest multipliciter fieri uel renuntians aliis, quos nouit non detenturos alienum, uel renuntians quod avaris propinquis, sed substituendo alios fideles, nisi intra certum terminum sub certis iudicibus discussum sit, quid restituendum sit, & restitutum uel renuntians quidem avaris propinquis, sed ordinando, quod hereditarias ad eorum manus peruenire nullatenus possit quousque tales electi ab ipso renuntiant, num inquisierint, examinauerint, iudicauerint & restituerint quicquid restituendum est. Et quoniam nemo militat propriis stipendiis, legere debet huiusmodi iudicibus & executoribus condignam & honorabilem mercedem, ut accendant ad fideliter cuncta paragenda. Et sic horum aliquo uel quouis alio modo recte disposita renuntiatione Christum nudum nudus sequi profiterendo poterit. Marthæ enim non ante restitutionem pauperem Christum pauper sequutus est, quum Zachæus Lucæ 19. legatur restitutionem pollicitus. Nec Euangelista de usu rerum simpliciter, sed de affectu quidem simpliciter: de usu uero pro tunc dixit, Relictis omnibus sequutus est eum: nam postmodum conuiuium magnum fecit in domo sua sumptibus propriis: glossa quoque illa eodem est intelligenda modo. Mediolani, die vigesima nona Septembris, 1500.

Q V A E S T I O III.

Utrum per uotum quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini beate Virginis sit acquisitum ius illi Ecclesie.

Quaritur, utrum per uotum quo quis promittit offerre aliquid alicui particulari imagini beate Virginis sit acquisitum ius illi ecclesie.

Et uidetur quod sic. Primo, quia per promissionem acquiritur ius illi, cui fit promissio, unde potest agere contra eum, qui promittit, si non seruauit promissum, sed in talibus uotis fit promissio non solum Deo, sed etiam tali Ecclesie implicite uel explicitè, ergo per tale uotum acquiritur ipsi Ecclesie. Minor patet ex eo, quod sic uouens intendit se obligare non solum ad offerendum Deo tale quid, sed ad offerendum tali Ecclesie uel imagini. Si dicatur, quod illa promissio non est acceptata à prelati illius Ecclesie, & ideo non acquiritur illi ius. Contra hoc est: Tam quia est acceptata implicite: quoniam querit admodum constat Deum acceptare promissionem sibi factam, ita ecclesiam. Tunc quia acceptatio non exigitur ad hoc quod acquiritur ius in huiusmodi: ut patet in legatis factis ecclesiis. Preterea, si per tale uotum non esset acquisitum ius ecclesie, non posset ecclesia ipsa agere contra uouentem: sed ecclesia agit contra non seruantes talia uota: ut patet extra de censibus, c. ex parte. & ab Inn. & ab Abba. ibi, & gloss. 12. q. 1. can. scimus. & Arch. ibi. Ergo.

In oppositum est Gulielmi, & Summa pisane sequaciumque opinio.

Respondeo, Quidam tenent uel absque ratione aliqua, uel propter rationes adductas, quod tali uoto acquiritur ius illi ecclesie, cui res offerenda uotendo decreta est, & propterea talia uota esse incommutabilia, ac per hoc mortaliter peccare commutantes huiusmodi uota. Alij uero oppositum sentiunt, dicentes hæc uota esse commutabilia, sicut cetera, quando scilicet necessitas uel utilitas id expolcit. Et horum, iudicio meo, opinio uera est, & conformis Opusc. Caiet. R. 3 Theo.

Theologorum antiquorum sententiæ. Vera quid est: quia cum ex uoto nullius aliquid acquiratur nisi ex obligatione uouentis: obligatio autem uouentis ex sola eius promissione oriatur, secundum quod in uoto inuenitur promissio, iudicanda est obligatio & iuris acquisitio. Cum autem in uoto sint duo, scilicet promissio, & res promissa, & cōtingat quæque rem promissam unam aliam promissionem esse (ut patet in uoto professionis) necesse est duo esse genera uotorum: quædam una promissione contenta, quædam duplici promissione munita. Et vota quidem illa quæ unicam tantum cōtinēt promissionem soli Deo cui promissio illa necessario fit, ius acquirunt, talia autem sunt omnia vota, quibus Deo tantum aliquid promittimus. Vota autem quæ duplicem implicant promissionem, alteram ut materiam voti, alteram ut essentiam voti, duobus ius acquirunt, & creatoris illis quibus aliqua boni promissio fit, & creatori cui uouetur implenda promissio creatoris illis facta. Talia autem sunt uota, quibus sanctis aut prælatis aliquid pollicemur ut S. Th. in 2.2.q.78. artic. 5. docuit. In eiusmodi siquidem uotis, promissio obedientiæ prælato, tãquam quoddam supererogationis bonum est res promissa Deo, & materia voti, promissio autem, qua Deo, ad id nos seruandum obligamur, essentia voti est, & actus latentiæ. Et quoniam promissio rationis actus est, expectationem pariens in eo, cui fit promissio, non potest fieri nisi rationem habentibus: & cōsequenter nulla promissio sub uoto cadere potest, nisi quæ Creatori aut rōnali creaturæ fiat. Ac per hoc ex uoto nulli potest ius acquiri, nisi Creatori aut creaturæ rationali: sola enim promissio in uoto ius parit. Cum ergo in huiusmodi uotis, quæ sunt alicui imagini Crucifixi aut beatæ Virginis, &c. nulli fiat promissio nisi Deo, & Sancto alicui, nulli cōsequenter acquiritur ius nisi Deo & sanctis. Eiusdem autem autoritatis est dispensare uel commutare promissiones factas Deo & suæ curiæ celesti: cum non sit minor autoritas ecclesiæ in concernentibus celestem curiam, quam in spectantibus ad eius principem, nec aliquid damnnum ciuibus cœlestibus proferre possit, quibus Deus ipse est omnia: unum omnia huiusmodi uota commutabilia sunt, habita rōne gloriæ illorum Sanctorum quibus promissum aliquid erat. Nec contēdat aliquis implicari in his uotis promissionem prælatis illis ecclesiæ, ex eo quod res, quam uouens promittit offerre illi ecclesiæ, intelligitur prælatis ecclesiæ promissa. Hoc enim falsum esse ex eo constat, quod in huiusmodi uotis locus in quo implendum est uotum, non cadit sub uoto, ut persona, cui fit promissio, sed ut circumstantia rei promissæ sicut tempus & quantitas, & alia huiusmodi. Nihil enim aliud huiusmodi uotis agitur, nisi quod promittitur Deo talis res, tali tempore, & in tali loco offerenda. ubi patet nullam promissionem prælatis ecclesiæ esse materiam uoti, sed tantummodo rem talibus circumstantiis uestitam. Nec refert an tales circumstantiæ sint locus, tēpus, quantitas, &c. an sint personæ humanae. Si quis n. uouerit nutriri se tales pauperes Christi uno die, quamuis teneatur hoc facere, potest tamē eius commutationem procurare & obtinere, sicut & aliorum supradictorum: quia personæ illæ non concurrunt in illo uoto, ut quibus fit promissio aliqua, sed ut circumstantia elemosinæ offerendæ Deo ut dicit S. Thomas in 4. di. 38. q. 1. ad quintum.

Nec oportet in huiusmodi uotis obliquos nominum casus ponderare; an. scilicet uouens dixerit secum.

F Promitto Deo & beatæ Mariæ offerre cereum in tali Ecclesiæ, an dixerit, Promitto Deo & tibi beatæ Mariæ talis Ecclesiæ offerre cereum, ut credatur per hanc diuersitatem in secundo casu acquiri ius illi ecclesiæ, quia imago illius ecclesiæ significatur ibi concurrere, ut persona, cui fit promissio. Hoc n. friuolum esse ex duobus patet. Primo quia imaginem uouens non alloquitur, nisi secundum id quod representat, scilicet beatam Virginem in cœlo regnantem, & cum non promittat nisi ei, cui loquitur, ipsi soli promittitur: & si cetera cōcurrunt, ut circumstantiæ rei promissæ. Secundo quia omnia, quæ implicite in uoto inueniuntur infra uoti limites, secundum uoti rationem interpretanda sunt, nisi ex intentione uouentium aliud habeatur. uoti autem ratio Deo promissionem fieri exigit. Aliam autem promissionem ut materiam habere tunc tantum promittitur, quando alicui creaturæ rationali promissio seruanda, uoto uel promissioni adiungitur, ut ex dictis patet. Constat autem ex intentione uouentium, qui non nisi uouere intendunt (quod promissionem supernæ curiæ creditur importare) quod omnia ut circumstantiæ rei promissæ intelligantur, & ex sola superna curia concurrat ut persona cui fit promissio.

H Conformis autem Theologis opinio ista est: quia indistincte cōmuniter Theologi scripserunt, omne uotum esse commutabile in uoti religionis. Constat autem id de quo est ius acquisitum alicui ecclesiæ: non posse commutari in uotum religionis. Non n. satisfit pensioni debita ecclesiæ cathedrali, si debitor ingreditur religionem, nec ab obligatione soluendi legati, aut cōtractus, ingressus religionis absoluit. Nec acceptanda est eundem glossa, dicentis hoc intelligi de uotis personarum, non autem de uotis reabilibus: uoluntaria n. est. Admirandum quippe est ualde, si restringendum dictum cōmune foret, cur eorum aliquis explicite uel implicite non restrinxerit. Imò Richardus omnia ad realia uota extendi uult, unum tantum excipiens: scilicet de nobilibus subsidio Terræ Sanctæ: in quo Papam cōsulendum dicit. S. Thomas quoque in secunda secundæ, quæst. ult. expresse sentit quod obligatus uoto simplici religionis imperfectiori, reus fracti uoti non est, si perfectiorem religionem ingreditur: quia in maiori claudit minus. Ex hoc aperte insinuat, per totum non esse acquisitum ius religioni illi imperfectiori: si enim acquisitum ius alteri religioni esset, non posset absque violatione uoti proprio motu aliam religionem perfectiorem ingredi: quoniam in his, quæ alterius ius concernunt, locum non habet propositio dicens, quod in maiori clauditur minus. Non n. qui debet centum alicui ecclesiæ, si soluat centum quinquaginta alteri ecclesiæ, ubi sanctius uiuitur, &c. absolutus est à debito. Si igitur ex uoto simplici non acquiritur religioni ius personæ uoto promissæ, cōsequens est, quod nec aliarum rerum. Non acquiritur igitur ius aliquod ecclesiæ ex eo quod aliquid ibi ad offerendum uouetur (sive ad ornamentum, sive ad subsidium, sive ad quodcunque aliud commodum ecclesiæ spectet) teneatur tamen uouens implere quod uouit, & ibi offerre, ubi se oblaturum uouit; alioquin si absque dispensatione uel commutatione uotum integrè non seruaret, mortaliter peccaret.

K Et per hæc patet responsio ad primum. Falsum est enim, quod in his uotis siualiqua promissio prælatis ecclesiæ, iam enim patet, quod cum dupliciter promissio possit in uoto inueniri, scilicet

et formaliter & materialiter, de illa, que est essentia voti, constat quod creatori tantum fit: materia autem voti si promissio esse debet oportet quod creatura rationali fiat. Et si indispensabilis aut incommutabilis, oportet quod fiat creatura rationali militantis ecclesie, cui ex commutatione damnū & præiudicium fieret: quod hic non accidere ex dictis liquet.

Ad secundum dicitur secundum Theologiam loquendo (ad quam spectat de votis tractare) quod ecclesiam posse agere contra uota huiusmodi non seruantes, potest dupliciter intelligi. Vno modo, ut ecclesia agat pro iure suo contra cum qui uouit: & sic nec iure probatur, nec rationi consonat, quod agere possit: quia nulla sibi pollicitatione facta, nullum sibi exigendi ius congruit. Ex Decretali siquidem illa hoc non habetur; quoniam ibi agitur contra eos, qui iam antiqua obseruatione se debitores Ecclesie constituerunt ex uotis emisissis: concurrit que ibi obligatio uotiuā quasi per accidens: ex qua cunque siquidem causa longis temporibus continēte persoluerent certam frumenti mensuram, eadem quō emergisset. **A**uthoritas autem Innocentij, Abbatis, Archidiaconi & glo. non est maior rationibus super quibus fundantur quas constat non concludere acquisitum esse ius ecclesie alicui. Innocentius enim opinans monasterium posse agere contra eum, qui uouit ingredi illud: fundat se super hoc, quod uotum obligatorium. **E**x hoc autem non sequitur, quod illud possit agere: sed ille cui promissio facta est, Deus scilicet. Abbas uero super uerbis illius Decretalis: Cogendi, Exigenda. Sed ex his nihil habetur ad propositum: quia, ut patet, textus loquitur quando ecclesie erat ius acquisitum ex ipsa uouentium antiqua obseruatione. Glossa uero illa, quia uersaliter, absolute & imperialiter loquitur, dicens, quod ex nulla pollicitatione potest quis conueniri, nihil obstat. Quamuis super nulla ratione fundatur, si ad hoc adducatur propositum. Archidiaconus uero prædicta sequitur. Posset quoque & forte melius dici, quod doctores isti licet dicant, quod ecclesia possit agere; non tamē id, quia habeat ius acquisitum, sed potius propter obligationem uouentium; ut patet ex rationibus suis. **A**lio modo contingit ecclesiam agere, ut uices Dei gerit, cui est facta promissio. Et hoc modo Episcopus quidem ex officio agere potest contra non seruantes talia uota: alia uero ecclesiastice personæ possunt indirecte agere, suggerendo in fauorem diuini cultus. Et quia hoc medium est inter posse conueniri ab ecclesia, ut illi dicebant, & non posse conueniri, ut alii sentiebant: ideo non est mirum, si diuersa senserunt: ad medium enim ex extremis uenitur. Mantua, die 13. Martij. 1500.

TRACTATUS DVODECIMVS

De maleficiis, cuius est unica questio.

QVAESTIO I.

Num liceat maleficium soluere opera malefici ad hoc parati utendo.



Varitur utrum liceat maleficium soluere opera malefici ad hoc parati utendo.

Et uidetur quod sic. Quia necessitate exigente, licet uti iniquitate alterius ad commodum proprium ut patet in petente mutuum ab usurario. Sed hic ni-

Ahil aliud interuenit, nisi uti iniquitate alterius parati, &c. ergo est licitum. Et confirmatur: quia non minus malum est iurare per idola; quam simplex maleficium, sed secundum Aug. ad Publicolam, licitum est uti iuramento alterius per idola in pacis federe componendo: ergo licitum quoque erit necessitate urgente uti maleficio alterius.

In oppositum est cōs sententia Theologorum.

Respondeo, quamuis præsumptuosa quadā ac temeraria opinio senserit licitum esse non inducere ad maleficiū faciendū: sed necessitate extante uti iniquitate parati ad maleficiū faciendum pp rōnē supradictam: indubiē tñ ab oībus fidelibus oppositū tenendū est. Tum pp diuinum pceptū promulgatum Leuit. 19. & 20. & Deut. 18. Prohibetur siquidem in his locis recursus ad magos ariolos, diuinicos, &c. Constat autē q̄tales sunt parati ad hūmōi sacrilegia & hoīes, ut plurimum necessitate aliqua confueuerunt declinare ad eos. **A**uthoritate ergo diuina dānantur recurrentes ad eos, qui parati sūt maleficia agere, & mortis pena puniēdi dñr & abominabiles Dño. Illicitum est igitur uti iniquitate fortilegorum maleficorum hūmōi ad suum cōmodum, quacunque id necessitate, uoluntarie tamen fiat. Tum propter rationem.

Ad cuius euidentiā sciendum est, non semper licere uti iniquitate alterius parati ad peccandum, sed tunc solum qñ pōt hoc fieri absque participatione in crimine: qñ autem hoc contingat, hic sumendum est. Duo sunt genera operum, quæ male exerceri possunt a paratis ad peccandum. **Q**uædam sunt, quæ deformitatem peccati habent necessario annexam: sic q̄ ab hic non possunt, etiam si uellēt, absque peccato fieri, ut patet de meretricio actu. **Q**uædam uero sunt, quæ s̄m se bona uel non mala sunt, quæ tñ ex uoluntate operantium sp̄ habēt annexum peccatum: ut patet de mutuo usurarii: mutuari. n. non exigit peccatum, sed usurarius paratus est annexere sp̄ mutuo usura uitium. Ex hoc autē sequitur alia dñia, q̄ primos actus nullus pōt petere aut cōsentire, ut ab alio fiat, quia sunt s̄m se mali: & Ro. 1. dicitur. Digni sunt morte non solum qui talia agunt, sed et qui consentiunt facientibus. **S**ecundi uero generis actus licite potest quis petere, & eis consentire: qñ deformitatem peccati non ex se trahunt: sed uoluntatem alterius adiunctam sustinent. Ex hoc autem sequitur tertia differentia, q̄. s̄. in primis actibus non licet uti iniquitate alterius, quia hoc fieri nō potest absque propria. In secundis uero licite potest quis uti iniquitate parati ad hoc: quia ipse perit actum bonum, puta mutuum, sed ille adiungit iniquitatem sibi ipsi.

Duobus quoque modis contingit maleficium a maleficiis solui. Primo, per simplicem dissolutionē seu destructionem maleficii prius facti: puta dissol uendo ligaturam capillorum cum aunulo ligneo, &c. Et hoc absque dubio licitū est, nec est opus malefici, ut maleficus est, sed hominis scientis impedimētum boni proximi sui. Quoniam hic nulla euenit demonum inuocatio, sed sola dissolutio signi, quo durante Diabolus statuerat malum cōseruare alterius. **S**ecō, per inuocationē demonum, seu aliud maleficium. Et hoc est absque dubio peccatū mortale: & est opus malefici, in quantum maleficus. Et quia tale opus non ex uoluntate malefici, sed ex necessitate deformitatem peccati sibi coniungit, iō non solum agentes, sed petentes & consentientes, peccato se subiicit. Et ideo quamuis liceat debita prudentia adhibita, ire ad maleficiū, & rogare

Opusc. Caiet.

R 4 ut